

Contra ultimam propositionem fere non sunt difficultates speciales nisi eæ, quæ fiunt contra rationalis animæ informationem; de quibus opportunius alibi.

ARTICULUS III.

Utrum in viventibus corporibus alia præter animam vel primum vitæ principium forma substantialis admittenda sit.

29. Ostendimus hactenus primum vitæ principium seu animam esse vere formam substantialem: nunc videndum est, num ea sit *unica* forma substantialis, quæ sit in corpore vivente. Qua in re illico nobis occurrit schola nobilis Scotistarum, qui cum suo duce ac magistro, Subtili Doctore, arbitrantur in omnibus viventibus aliam inesse formam substantialem distinctam ab animo. Etenim cum viventia, consentientibus omnibus, anima constent et corpore, eoque mixto seu chimice composito, ante informationem animæ agnoscenda est, inquit, aliqua forma, quæ materiam in esse corporis mixti et organici constituat, ideoque vocatur forma *corporealis* et etiam *mixtionis*. Hæc forma tribuit corpori totam varietatem organorum ipsamque organizationem substantialem materiæ; hæc præcedit in embryone, dum disponitur ad suscipiendam animam, perseverat simul cum eadem in materia, dum vita durat, et adhuc post mortem remanet in cadavere, donec illud, dissoluta compage organici corporis, in alia mixta, vel tandem in elementa transformetur per successivas corruptiones. Ideo forma corporeitatis dicitur esse animæ subordinata, nec materiam *compleri* perfecte etiam in linea substantiæ, sed relinquere adhuc in *potentia*, et disponere ad actum substantialem viventis; quia per illam formaliter constituitur quidem corpus, nondum tamen undequaque completum, sed complebile per informationem animæ, ideoque retinens rationem subjecti et partis ad efformandum compositum vivens (1). En animam

(1) Ideo scripsit Scotus: «Forma animæ non manente, corpus manet, et ideo universaliter in quolibet animato necesse est ponere

ex sententiis, quæ celebriorem reddidere scoticam scholam; eandemque doceri præterea scribit Mastrius (1) a Nominalibus, Averroistis seu Medicis, ac Philosophis sæcularibus.

Hæc doctrina e scoticæ scholæ cancellis egressa, etiam aliquas alias penetravit paululum immutata ab iis, qui præter animam in viventibus plures formas partiales agnoscunt, puta formam *carnis, ossis, oculi, auris*, etc., in animalibus, et formam *foliorum, radicum*, etc., in plantis. Ita enim senserunt, ut nostros dumtaxat nominem, PP. Conninck, Dandinus, Tanner, Lessius, Antonius Mayr, Rasslerus, Cardinalis Ptolemeus alique, et hanc apud recentiores communiorum esse scribebat P. Georgius Rhodes (2) ac sæculo elapso Antonius Mayr (3). Qui in eo a Scotistis discriminantur, quod plures formas partiales posuerint, Scotistæ vero unam. Facile tamen est utrosque in concordiam revocare; necesse enim non est formam illam corporeitatis in sententia Scotistarum ponere uniformem seu homogeam, sed dici potest ea esse heterogenea et ex pluribus partialibus formis coalescens, ut volunt Mastrius (4), Dupasquier (5), Faber (6), Pontius (7) alique. Quin etiam existimat Mastrius (8) hanc

illam formam, qua corpus est corpus, aliam ab illa, qua est animalium... sed loquor de corpore, ut est *altera pars* compositi; per hoc enim non est individuum, nec species in genere corporis nec in genere substantiæ, quod est superius, sed tantummodo *per reductionem*. Unde corpus, quod est altera pars, manens quidem in esse suo proprio sine anima, habet per consequens formam, qua est corpus isto modo, et non habet animam; et ita illa forma necessario est alia ab anima, sed non est aliquid individuum sub genere corporis, nisi tantum per reductionem ut pars: sicut nec anima separata est per se inferius ad substantiam, sed tantum per reductionem. Scotus, 4.^o, dist. 11, quæst. 3, *Alii concedentes*...

- (1) *De Gener. et corrupt.* disp. 5, quæst. 3, art. 1, num. 78.
- (2) *De Anima*, disp. 1 (ordine disp. 15), quæst. 1, sect. 4. paragr. 2.
- (3) *De Anima*, disp. 1, quæst. 1, art. 5, n. 78.
- (4) *Phys.*, disp. 2, quæst. 4, art. 2, num. 81; *de Gener. et corr.*, disp. 5, quæst. 3, art. 1, num. 79.
- (5) *Summa Philos.*, tom. 4, disp. 8.^a *de anim.*, quæst. 2, concl. 3.
- (6) *Philosophia naturalis*, Theorem. 73, cap. 4.
- (7) *Integer Philosoph. Coursus*... disp. 7.^a *de Anima*, quæst. 3, num. 73.
- (8) *Locus cit.* Cf. Fabrum, ib.

Sententia
formarum
partialium,
Scoticæ
affinis.

eandem esse mentem Scoti. Quod si verum est, jam nihil erit discriminis inter scoticam sententiam et doctrinam formarum partialium. Quamobrem negari nequit satis frequentem fuisse opinionem istam (1), nec gravi omnino destitui extrinseca probabilitate. Quanta vero sit ejusdem intrinseca probabilitas, ex rationibus accurate perpendendis patebit.

Opinio P.
Joannis Ulloa;

Hanc de formis partialibus doctrinam paululum modificavit P. Joannes Ulloa, qui in mixtis, ac potissimum in viventibus, admisit plures formas, quæ essent instar conditionum ad receptionem animæ, ita tamen ut sola anima informans immediate materiam constituat simul cum ipsa *essentiam* viventis, reliquæ vero formæ cum materiæ parte, quam informant, membra esse dumtaxat integritatis; quandoquidem essentia hominis v. gr. salvatur ex complexu animæ rationalis et puncti materiæ, cum qua unitur, quin partes illæ prout formis partialibus actuatæ, ullo modo requirantur ad essentiam illius, licet requirantur ad integritatem (2).

Item Henrici
Gandavensis.

Cæterum scoticam *formam mixtionis vel corporeitatis*, quam hi in omnibus viventibus admittendam esse contendunt, in solo homine agnoscit Henricus Gandavensis.

30. PROPOSITIO. Corpus vivum per eandem formam habet, quod sit animatum, et quod sit corpus: unde forma, quam vocant *corporeitatis vel mixtionis*, quomolibet proponatur, rejicienda est.

Ita nostri communissime cum S. Thoma (3) et Thomistis.

Rejicitur
forma
corporeitatis.

Probatur 1.^o Si qua daretur ejusmodi forma corporeitatis, anima superveniens nullatenus posset esse forma

(1) Nihil ergo mirum, si Pontius (loc. cit. num. 37), et potissimum Matrius (*De Gener. et corrupt.*, loc. cit. num. 78), tam acriter invehat in P. Rodericum Arriaga, eo quod scripserit (*Phys. disp.* 2, sect. 6, subsect. 2, num. 56) opinionem scoticam non invaluisse in scholis, sed a paucis defendi. Cui dum respondet Matrius, hispanum supercilium et alia quædam meminit, quæ utrum vera sint, necne, expendere nec necessarium nec utile arbitramur; nihil enim ad ipsius rei, de qua disputamus, veritatem pertinet.

(2) Vide P. Ulloa (*Physic. speculat.*, disp. 1, a num. 149), cujus doctrinam refert Lossada (*Physic. tract.* 1, disp. 5, cap. 3).

(3) S. Thom., 1 p. quest. 76, art. 4, et aliis in locis mox laudandis.

substantialis, sed esset accidentalis. Atqui hoc admitti nequit. Ergo...

Minor constat; probatur Major. Quidquid supervenit substantiæ in actu completo constitutæ, substantiale non est, sed accidentale. Atqui per scoticam formam corporeitatis constituitur substantia reapse in actu completo.

Major patet: α) Nam id, quod capax est adhuc actum aliquem substantialem suscipere, rationem habet potentiæ substantialis. Substantia porro in actu completo constituta, non est, ut per se liquet, potentia substantialis. Itaque quidquid adveniat substantiæ jam completæ, accidentale est, cum jam habeat consummatam perfectionem suam in linea substantiali. β) Id quod est in aliqua specie ultima, non est in potentia ad perfectiorem speciem, nisi amisso actu prioris speciei, secus enim aliquid esset in duplici specie ultima. Sed substantia in actu completo constituta, jam est in specie quadam ultima. Ergo... Enimvero ratio ultimæ speciei non est mensuranda ex eo, quod res aliqua summam perfectionem absolute possibilem substantialem assecuta sit, secus enim nihil esset in ultima specie constitutum, præsertim in corporeis substantiis; sed taxanda et judicanda est ex eo, quod habeat totam illam entitatem substantialem, quæ ad certam aliquam speciem spectat capacem existendi per se. Et sic redditur ratio, cur angelus sit substantia completa, itemque lapis, aurum, aqua, etc. (1).

Probatur ergo Minor. Nam materiæ primæ actuatæ ac perfectæ per formam corporeitatis nihil jam deest ad complementum substantiale, siquidem corpus ita constitutum in primis componitur ex actu et potentia, et deinde est capax existendi per se absque ullo alio actu substantiali superaddito, et ita dicitur existere in embryo prius, ac deinde in cadavere. Recte ergo scripsit Aquinas: *Qualibet... forma substantialis facit ens completum in genere substantiæ: facit enim ens actu et hoc aliquid* (2). Si enim tribuit materiæ actum, per quem capax fiat existendi, jam eo ipso constituit aliquid completum; si vero non tribuit talem actum, nequit forma

(1) Cfr. Suar., *Metaphys.* disp. 13, sect. 3, n.º 10.

(2) 2.^o *Contr. Gent.* cap. 58, *Item adhuc redibit.*

substantialis reputari. Quæ causa est etiam, cur materia prima semper sit substantia incompleta.

Nec dicas, corpus constitutum per formam corporeitatis, licet capax sit existendi per se, ideo tamen esse adhuc incompletum, quia non potest diu durare in eo statu, quin sit animatum, sed cito debet corrumpi.—Nam in primis id verum non est de pluribus ejusmodi corporibus, ut videre est in multis organismis, potissimum regni vegetalis, qui anima vitæque spoliati possunt adhuc perdurare longissimam ætatem. Idemque fiet in regno animali, si a cadaveribus arcerentur causæ dissolutionis et corruptionis, quas nunc Physiologi nobilissimi reponunt in animalculis et bestiolis, quæ pullulant in mortuis corporibus: qua de re nonnihil inferius dicitur. Ex quo præterea indicio vel ratione probabiliter persuadebis organismos ejusmodi esse substantias vere incompletas, aut minus completas, quam quodvis aliud corpus mixtum? Præterea major aut minor duratio corporis alicujus in existentia per se sola non videtur sufficere, ut illud completum aut incompletum existimari debeat. Quot enim mixta et quot etiam viventia numerari possent certe non longioris vitæ aut durationis, quam corpus forma illa corporeitatis constitutum! Quid ergo illi deesse vel obstare potest, quin sit substantia vere in actu completo constituta? An quod posset majorem perfectionem substantialem nascisci in altiori quadam specie? Verum si id obstaret, jam nulla esset in mundo substantia completa. An quod corpus ejusmodi animari potest, atque actum substantialem formæ perfectioris, animæ nimirum, suscipere? At etiam elementa quævis per formam perfectiorem mixti actu substantialiter possunt, et etiam mixta plurima per formam alterius mixtionis perfectioris. Et corpora omnia, sive simplicia, sive composita, quibus nutriuntur corpora viventia, immo et ipsa vegetalia et animalia, quibus vescuntur animantia, talia sunt, quæ actuari ulterius possint per animam nobiliorum ac præstantiorem. Quis tamen dixerit elementa aut mixta ejusmodi, quin et ipsa viventia, vegetalia et animalia esse substantias incompletas? Ergo quemadmodum hæc corpora sunt substantiæ completæ, nec constituuntur in specie superiori per actum substantialem formæ perfectioris, nisi corrupta priori

forma, ut ipsimet Scotistæ docent; idem etiam contingere dicendum est de materia prima in esse corporis constituta per formam corporeitatis, ut embryo non aliter animetur, et fiat corpus vivum, nisi amissa forma, quam prius habebat. Et sicut mixta non resolvuntur in elementa per meram cessationem formæ mixtionis, sed per eductionem formarum propriarum, quæ in mixto non continebantur in proprio actu, sed tantum virtute; ita etiam corpus vivum, separata anima, remanet simpliciter corpus cadavericum per eductionem novæ formæ, qua fit cadaver. Itaque sicut materia prima ideo est incompleta substantia, quia existere, saltem naturaliter, nequit absque forma, ita e converso materia corporeitatis forma actuata, substantia vere completa censeretur debet, siquidem jam capax est ad existendum, quin ulla forma ulterior sibi adveniat.

Dices 1.^o Anima rationalis potest existere sola, et tamen non est completa.—Resp. Anima, licet capax existendi, ideo est incompleta, quia adhuc *remanens in sua specie* compleri potest non per susceptionem in se alterius actus, sed per informationem et actionem materiæ.

Dices 2.^o Substantia vel natura etiamsi sit completa, potest adhuc ex nostra sententia recipere actum subsistentiæ, quo ulterius compleatur. Ergo a fortiori poterit materia, per formam corporeitatis actuata, animæ actum, eumque substantialem, accipere. Quare rem non evincit argumentum factum.—Respondeo, *neg.* conseq. et paritatem; quia subsistentia non est forma, nec completatur naturam in ratione naturæ vel essentiæ specificæ, sed est modus substantialis, substantiam jam specificè completam terminans, reddensque alteri incommunicabilem, prout in *Ontologia* declaratum est.

Hoc argumentum sæpissime urget Angelicus contra formarum pluralitatem. *Forma substantialis in hoc differt ab accidentali, quia forma substantialis facit esse hoc aliquid simpliciter (1); forma autem accidentalis advenit ei, quod jam est*

(1) Id est, aliquid completum in esse et specie, ut explicat ipsemet S. Thomas (in lib. 2.^o de Anim., lect. 1, paragr. b. Cfr. omnino opusc. de Pluralit. formar., Sequitur de secunda), vel individuum in genere substantiæ (Quæst. de Anim. art. 1); quamquam alias sumit etiam hoc aliquid S. Doctor pro substantia incomplete subsistente,

boc aliquid, et facit ipsum esse quale vel quantum vel qualiter se habens. Si igitur plures formae substantiales sunt unius et ejusdem rei, aut prima earum facit hoc aliquid, aut non. Si non facit hoc aliquid, non est forma substantialis. Si autem facit hoc aliquid: ergo omnes formae consequentes adveniunt ei, quod jam est hoc aliquid. Nulla igitur consequentium erit forma substantialis sed accidentalis (1).

Et per hæc etiam præoccupata manet communis solutio, qua Scotistæ respondent huic argumento, dicentes per formam corporeitatis materiam non plene compleri, sed adhuc esse in potentia substantiali ad esse viventis. Est quidem in potentia substantiali ad esse viventis, sed ita ut, accedente anima, recedere debeat forma præcedens. *Corpus enim antequam animetur, habet aliquam formam: illa autem forma non manet, adveniente anima (2).*

qualis est anima rationalis. Si ipse Angelicus interpretatur quid sit esse hoc aliquid simpliciter, nimirum aliquid completum in aliqua specie et genere substantiæ; et hoc convenit, ut docet ibidem S. Thomas, soli substantiæ compositæ in rebus materialibus; necesse non erat, cur Suarezio exprobraret Joannes a S. Thoma (de Anima quaest. 1, art. 3), quasi hanc rationem non possit Eximius Doctor urgere contra Scotum, propterea quod materiæ primæ tribuat suam existentiam propriam, per quam proinde jam sit hoc aliquid et ens actu. Sed ut auctor ille sua instantia quidquam concluderet, debuisset prius probare et ex Angelico et ex ratione, quod materia etiam se sola, si propriam habeat existentiam, sit aliquid completum in esse et specie, et simpliciter ens actu, id vero undenam probat? Ergo cum ita invehitur in Suarezium, nihil proficit suæ causæ; et si argumentum hoc quod omnes in Scotum intorquent, velit fundare in illa theoria, non aliud obtinebit, nisi sententiam probabiliorē et communiorē per argumentum minus probabile et commune confirmare.

(1) S. Th. *Compend. Theol.* cap. 90. Similia habes 1 p. quaest. 76, art. 4; quaest. de Anima, art. 9; de Spiritu creat., art. 3. In hoc consistit ratio accidentis... Opusc. de pluralitate formarum paragr. Sequitur de secunda via; 2.^o *Contr. Gent.* cap. 58; *Quodlibet.* 1, art. 6. Cfr. *Quodlib.* 12, art. 9; *Quodlib.* 11, art. 5; et alibi.

(2) S. Th., de Spiritu creat., art. 3, ad 12.^{um}

Ex hoc argumento concludit ulterius Angelicus, si alia præter animam forma ponatur in vivente, corpus animatum non posse dici simpliciter generari; nec simpliciter corrumpi. Cum enim generatio sit transmutatio ad esse rei, illud simpliciter generari dicitur, quod simpliciter fit ens de non ente in actu, sed de ente in potentia tantum.

Confirmatur hæc prima ratio. Nam si daretur forma corporeitatis, nullum vivens posset esse unum per se. Atqui hoc ne ipsi quidem Scotistæ concedunt, et manifestæ experientiae contradicit ac rationi. Ergo...

Prob. Major. 2) Quia esse ab anima promanans, nimirum esse vivum et animatum, in sententia Scotistarum nequit esse substantiale, sed accidentale, utpote adveniēis substantiæ completæ, ac proinde facit cum priori esse corporis unum per accidens. β) Posito quod sit substantiale illud esse viventis, quod ab anima communicatur, duplex habebitur esse in vivente. Jam vero unius entis unum tantummodo est esse. Vivens ergo, utpote duplex habens esse substantiale realiter distinctum non potest esse unum simpliciter ens.

Præclare rationem hanc evoluit S. Thomas: *Hæc positio (de multiplicitate formarum in eodem subjecto) secundum vera Philosophiæ principia est impossibilis. Primo quidem, quia nullum individuum substantiæ esset simpliciter unum. Non enim fit simpliciter unum ex duobus actibus, sed ex potentia et actu, in quantum id quod est potentia, fit actu; et propter hoc homo albus non est simpliciter unum, sed animal bipes est simpliciter unum, quia hoc ipsum quod est animal, est bipes. Si autem esset seorsum animal, et seorsum bipes, homo non esset unum, sed plura, ut Philosophus argumentatur in 3.^o et 8.^o Metaphysicorum. Manifestum est ergo, quod si multiplicarentur multe formae substantiales in uno individuo substantiæ, individuum substantiæ non esset unum simpliciter, sed secundum quid, sicut homo albus (1).*

Dices forte 1.^o, id ita fore, si esse corporis et esse viventis nullum haberent inter se ordinem, non autem, si esse corporis subordinetur alteri esse viventis, ut docent Scotistæ. **Respondeo**, etiamsi ponatur ejusmodi subordinatio, minime posse ex utroque esse unum simpliciter ens resultare. Ens enim sequitur esse: duo autem esse, quamvis ordinem servent

Si igitur aliquid fiat de præexistente in actu (ut necessario continget posita forma prævia, quæ non corrumpatur per adventum novæ) non generabitur simpliciter ens, sed hoc ens. Et eadem est ratio de corruptione. Quaest. de spir. creat. art. 1, ad 9.^{um} Vide etiam 1 p., quaest. 76, art. 4, et aliis locis cit.

(1) Quaest. de spir. creat., art. 3.

inter se, non desinunt esse vere duo, nec unum dici possunt, nisi secundum ordinem. Atqui *unum secundum ordinem non est simpliciter unum, cum unitas ordinis est minima unitatum* (1).

Dices 2.^o Si plures formæ metaphysicæ, quæ diversos gradus perfectionis conferunt, minime obstant, quominus aliquid sit ens per se, cur plures formæ physicæ obstare poterunt, si potissimum aliæ aliis subordinatæ ponantur?

Respondeo, ingentem esse disparitatem. Formæ enim illæ metaphysicæ gradusque perfectionis non sunt entitates realiter distinctæ in subjecto, sed solummodo conceptus objectivi magis aut minus adæquati ejusdem rei, qui proinde nec faciunt realem compositionem, nec tribuunt diversam simpliciter speciem. Cum enim res intelligere possimus magis aut minus determinate, iisque mentalibus expressionibus, quæ modo sint propriæ, modo communiores aliis, cum quibus gerant similitudinem; rationes illæ magis indeterminate et communiores existimantur instar materiæ perfectibilis per rationes magis proprias ac determinatas, quasi per totidem formas substantiales. Verum hoc totum est opus mentis nostræ, quod æque solet etiam exerceri circa simplicissimas substantias; at vero formæ physicæ, cum realiter distinctæ sint, veram multiplicitatem actuum substantialium et specificorum ponunt in corpore.

Prob. 2.^o Forma corporeitatis supervacanea prorsus est. Ergo rejicienda.

Anteced. probatur: a) Ratio corporis organici, quæ ab illa forma mixtionis dicitur procedere, media quædam est inter rationem substantiæ et viventis. Nam substantia dividitur in corpoream et incorpoream; et corporea seu corpus in organicum et inorganicum, animatum et non animatum. Atqui quævis forma tribuens actum infimæ speciei, dat quoque gradus et medios et supremos in eadem linea prædicamentali. Ergo eadem forma, anima, est quæ materiæ tribuit non modo actum vitæ, sed etiam corporis. Minor in omnibus aliis casibus conceditur ab ipsis Scotistis, et solum in præsentî negatur, haud satis consequenter. Sic eadem anima tribuit omnem gradum vitæ, quæ sit in quovis

(1) S. Th. 2.^o *Contr. Gent.* cap. 18; *Præterea*.

composito: eadem forma auri confert actum specificum auri, et alios genericos elementi et corporis (1).

Prob. β) antecedens principalis argumenti. Tum ratio corporis, tum ratio corporis organici potest ab eadem anima profluere. Ergo supervacanea est alia forma specialis corporeitatis. Ratio corporis, quia nulla repugnantia est in eo, quod forma perfectior det quiddam minus perfecta potest dare. Ita rationalis anima principium est vitæ tum intellectivæ, tum sensitivæ et vegetativæ, ut nunc supponimus, et concedunt adversarii. Quidni etiam corporeitatis?—Si quæ umbra repugnantiae objiciatur ab adversariis, mox dissipabitur (2). Deinde haud absurde intelligitur, quomodo possit organizatio materiæ ab anima tamquam a forma dependere, atque omnino resultare formaliter ex ipsa substantiali ejusdem unione cum materia. Hac enim sola unione posita, jam intelligitur inesse tali composito exigentiam organorum et instrumentorum ad vitales operationes. Solum facessere negotium potest partium dissimilium in organismo varietas. Verum in primis noto etiam adesse in quovis vivente, ac potissimum in animali et homine, magnam vitalium operativonum arietatem, quæ profecto, fatentibus adversariis, ab una eademque anima procedunt. Si ergo uni animæ varietas operationum adscribenda est, quid vetat ab una etiam anima dependere varietatem organorum et organizationis? Et declarari res potest aliquo modo. Anima enim vel est divisibilis in partes integrantes, vel non. Si divisibilis est, partes ipsius forte possunt habere aliquam diversitatem substantialem, ob quam diversum actum tribuunt materiæ: unde tota demum organismi varietas derivabitur (3). Scio Mastrium (4) sententiam

(1) Quando... sunt multæ species sub uno genere, non oportet, quod formæ, quibus distinguuntur species ad invicem, sint aliud secundum rem a forma communi generis... etc. S. Th., *de spir. creat.* art. 1, ad 9.^{am} Cfr. 1 p., quæst. 76, art. 3, ad 4.^{am} Vide Suar. cit. disp. *Metaph.* 6, sect. 9, num. 17, 18; et disp. 13, sect. 3, num. 20.

(2) Legenda sunt omnino, quæ Suarezius egregie scribit disp. *Metaph.* 13, sect. 3, num. 21; et disp. 6, sect. 9, num. 17, 18.

(3) Vide Suarez (*de Anim.* lib. 1, cap. 2, n. 16 seqq.; et *Metaph.* disp. 15, sect. 10, n. 30. Cfr. ib. a num. 29 seqq.), et Sylvest. Mauri (*Quæstion philos.*, quæst. 26, ad 9.^{am}).

(4) Mastri., *Phys. disp.* 2, quæst. 4, art. 2, n. 74.

hanc vocare «novum inventum a nemine hucusque somnium». Equidem capio doctrinam istam aliis displicere posse, capere autem non possum virum, qui formam corporeitatis admittit integram ex diversis partialibus formis (1), tantopere abhorre ab anima, quæ similiter ex partibus heterogeneis coalescat. Si enim positus ejusmodi partibus heterogeneis in anima, nullum animal foret «unum per se et in unica specie, sed tantum unum unitate ordinis et continuationis et in diversis speciebus» (2), ut scribit Mastrius, quomodo, quæso, non idem dicendum est a fortiori de forma corporeitatis, quæ «non est unica secundum speciem... sed potius est congeries illarum formarum partialium, carnis, ossis et nervi?» Et si «quicumque formam corporeitatis tenent, in hoc sensu eam asserere debent» (3), quin ullum exinde sequatur unitatis detrimentum, quo jure audeat Scotista partes illas heterogeneas animæ divisibilis tanquam inimicas unitatis reprehendere?

Cæterum si quis nolit admittere aut animas ulla divisibiles dari, aut eas, si quæ dentur, partibus aliquantulum heterogeneis instrui, varietatem organorum explicare poterit, ut explicanda est in altera hypothesis. Nimirum si anima est indivisibilis, varietas organorum declarari potest ex eminentia perfectionis animæ ac diverso unionis modo cum materia. Cum enim hæc sit instrumentum illius ad multiplices specie operationes eliciendas, diversimode disponenda est in diversis partibus, partes vero diversimode dispositæ possunt etiam diversimode actuari ab eadem simplicissima et indivisibili anima, non solum in ordine ad operationem, ut notum omnibus est, sed etiam in ordine ad ipsum esse substantiale. Si enim eadem anima v. g. hominis, licet simplicissima sit, variam virtutem communicat diversis membris, puta oculo, auri, etc., consentaneum est, ut varium quoque tribuat unionem suam esse substantiale, unde sequitur operatio (4). Ad

(1) Mastr., disp. 2 *Physic.*, quæst. 4, art. 2, num. 81; de *Gener. et Corrupt.*, disp. 5, quæst. 3, art. 1, num. 79.

(2) *Physic.* disp. 2, quæst. 4, art. 2, n. 74.

(3) Mastrius, *Physic.* disp. 2, quæst. 4, art. 2, n. 81, ad 3.^{um}

(4) Vide Suarez, de *Anim.* lib. 1, cap. 2, num. 23; et *Metaphys.* disp. 15, sect. 10, num. 32.

rem Angelicus: *Cum anima rationalis sit perfectissima formarum naturalium, in homine inventur maxima distinctio partium propter diversas operationes, et anima singulis earum dat esse substantiale secundum illum modum, qui competit operationi ipsorum* (1). Et alibi: *Quia forma perficit materiam, non solum quantum ad esse, sed etiam ad operandum, ideo oportet, quod licet anima sit una forma, partes corporis diversimode perficiantur ab ipsa* (2). Item: *Anima quavis sit una et simplex in essentia, habet tamen virtutem ad diversas operationes; et quia naturaliter dat esse et speciem suo perfectibili, in quantum est forma corporis secundum essentiam, ea autem quæ sunt naturaliter, sunt secundum finem; oportet, quod anima constituat in corpore diversitatem partium, prout congruit diversis operationibus* (3).

Utrum autem diversa viventis organa specificè distinguantur, si quis interroget, respondebo cum S. Thoma: *Partes animalis, ut oculus, manus, caro et os, et hujusmodi, non sunt in specie, sed totum: et ideo non potest dici, proprie loquendo, quod sint diversarum specierum, sed, quod sint diversarum dispositionum. Et hoc competit animæ intellectivæ, quæ quavis sit una secundum essentiam, tamen propter sui perfectionem est multiplex in virtute: et ideo ad diversas operationes indiget diversis dispositionibus in partibus corporis, cui unitur. Et propter hoc videmus quod major est diversitas partium in animalibus perfectis, quam in imperfectis, et in his quam in plantis* (4).

Prob. 3.^o propositio. Proprium est formæ substantialis esse actum primum, saltem nobilitate atque intentione, quatenus nimirum in gratiam ejus ordinentur proprietates atque accidentia peculiariora corporis; aliis verbis, proprium est formæ, esse radicem proprietatum et præcipuam differentiam specificam. Atqui non est ejusmodi forma illa corporeitatis. Ergo... Major constat ex generali doctrina de orporum essentiali constitutione. «Potissimæ enim rationes,

Utrum
diversæ partes
ejusdem
organismi
specificè
differant.

(1) Quæst. de *Anima*, art. 9, in corp.

(2) Ibid. ad 4.^{am} Cfr. ad 7.^{am}; 2.^a *Contr. Gent.* cap. 72, vers. fin.; et quæst. de *spir. creat.*, art. 4, corp. paulo post initium.

(3) S. Thom. quæst. de *Anim.* art. 10, ad 17.^{am}

(4) S. Thomas, 1 p. quæst. 76, art. 5, ad 3.^{am}

quibus ostenditur substantialis forma, in hoc innituntur, quod ad perfectam constitutionem naturalis entis necessarium est facultates omnes et operationes ejusdem entis in uno essentiali principio radicari; quam connexionem et radicacionem ostendunt etiam ipsi naturales effectus, ut ibi deduximus» (1). **Minor etiam patet**, quia ipsa forma corporeitatis secundum Scotistas inest in gratiam animæ: unde et ipsa radicatur in anima, siquidem exigitur in materia tamquam dispositio, ut ab illa possit actuari, nec proinde potest esse præcipua differentia specifica, per quam corpus animatum a non animato secernatur.

Prob. 4.^o Forma corporeitatis dicitur esse dispositio ad animam suscipiendam, cum ipsa deinceps perseverans in materia. Atqui nulla forma substantialis potest esse dispositio ad aliam, eamque comitari in materia. Ergo...

Minor patet. α) Quamquam enim, quando generatio alicujus corporis fit successive, transeundo per diversas species intermedias, concedi possit, formas alias disponere materiam ad alias, donec tandem gradatim ad ultimam ventum fuerit (2); ejusmodi autem formæ non solent simul omnes in illa materia remanere, sed nova adveniente, desinit esse præcedens, ex notissimo illo proloquio: *Generatio unius corruptio alterius*. β) Præterea si semel admittatur, formam substantialem posse esse dispositionem ad aliam ita, ut cum ipsa postea maneat; in omni generatione, ac nominatim in mixtionibus, poterunt fingi formæ præviæ adhuc in materia præsentis, tamquam totidem dispositiones, quæ sicut ad primam introductionem formæ mixti requirebantur, sic ad ejusdem postea conservationem necessariæ sint (3).

Confirmatur. Quia forma corporeitatis materiam disponens ac reddens eam aptum subjectum, quod animetur per animam, dicitur esse eadem ipsa forma embryonis, quæ animæ informationem præcedit, et cadaveris, quæ, anima recedente, adhuc manet usque ad illius dissolutionem. Atqui

(1) Suar., disp. Met. 15, sect. 10, n. 65.

(2) Vide S. Th., 2.^o Contr. Gent. c. 89, vers. medium; 1 p., quest. 118, art. 2, ad 2.^{am}; de spirit. creat., art. 3, ad 13.^{am}

(3) Vide Suarez, disp. Met. 15, sect. 10, n. 33.

hoc impossibile prorsus videtur. Ergo... **Minor manifesta est.** α) Non enim minor est diversitas accidentium sensibilibus inter embryonem et cadaver, quam inter organa partesque varias corporis animati. Ergo si propter diversitatem partium organicarum diversæ a Scotistis inducuntur formæ, a fortiori diversa dicenda est forma embryonis et cadaveris. β) Præterea forma illa cadaveris non modo non est dispositio ad informationem animæ, sed illi omnino repugnat; secus enim nunquam anima relinqueret corpus. Quomodo ergo potest esse eadem forma corporeitatis, quæ fuit in embryone, ac remanet in cadavere?

Probari denique 5.^o potest ex communi Scholasticorum cum Aristotele (1) principio: *Generatio unius est corruptio alterius, et corruptio unius est generatio alterius*. Atqui, admissa Scotistica sententia, generatio viventis accidit absque corruptione alterius, et corruptio pariter viventis fit absque generatione ullius alterius entis. Ergo (2).

31. **SCHOLION.** Atque hæc, quæ generatim dicta sunt contra formam corporeitatis, valent quoque plus minus non solum contra pluralitatem formarum partialium quomodolibet explicatarum, sed etiam contra doctrinam atomistarum, qui animam arbitrantur ita corpus informare, ut hoc independentem ab illa revera sit congeries tot completarum substantialium, quot sunt in atomis, ex quibus coalescit. Quia in re multum discrepant atomistæ a Scotistis, eoque magis reprehensione digni sunt. Hi enim generatim in corporibus omnibus agnoscunt essentialiam compositionem ex materia et forma, atomistæ vero eandem in viventibus admittunt, saltem voce, in reliquis cane pejus et angue refugiunt. Deinde Scotistæ amplectuntur divisionem substantiæ in completam et incompletam; quin in hac ipsa questione, dum ex altera parte corpus in ratione corporis per aliam formam ab anima distinctam constitui asserunt, ex altera ejusmodi

Discrimen
scotisticæ hujus
doctrinæ ab
atomistarum
placitis.

(1) Lib. 1 de Gener. et corrup. tex. 17 seqq. Cfr. S. Thom. ib. lect. 7.

(2) Vide Suar. (disp. 15, sect. 10, n. 9), Lossada (disp. 5. Phys., tr. 1, cap. 1, n. 11, ubi hæc ratio defenditur a Scotistarum exceptionibus).

corpus esse substantiam incompletam, mordicus contendunt; atomistæ autem substantias in ratione substantiæ incompletas velut quiddam absurdum ac prorsus repugnans rejiciunt. Præterea Scotistæ, secus atque atomistæ, veri nominis unionem substantialem agnoscunt, ex qua una non modo natura, sed etiam substantia, efflorescat, unam habens essentiam atque existentiam communem utrique componenti, quod proinde jam non est amplius multiplex *acti* substantia, sed tantummodo potentia, quatenus nimirum abrupta unione, per quam plures partes in unum coaluerunt, iterum resolvi ac dividi potest in easdem. Denique atomistæ nolunt compositum ipsum ex anima et corpore exercere tanquam principium ac subjectum elicitive vitales actiones vegetationis ac sensationis; sed contendunt vegetationis quidem subjectum esse materiam, prius utique modificatam ab anima (1), sensationis autem principium eliciens esse solam animam, licet consociatum materiæ (2); at vero Scotistæ cum communi Scholasticorum sententia tum vegetationis tum sensationis principium elicitive volunt esse ipsum compositum ex anima et corpore, ut suo loco videndum erit. Desinant ergo atomistæ, cæteroquin scholastico nomini non parum infensi, scoticæ scholæ hac in re patrocinium appellare.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

32. **Objic. 2.^o** Si anima daret materiæ ipsum esse corporis, anima esset pars essentialis corporis. Atqui hoc, saltem si sermo sit de anima rationali, prorsus videtur absurdum et impossibile; repugnat enim spiritum esse de essentia corporis, vel corpus constitui per formam spiritualem. Ergo... (3).

Resp. dist. Major. Anima foret pars essentialis corporis, ita tamen ut anima rationalis non penitus a materia comprehenderetur, seu absorberetur tota virtus illius, *conc.*; ita

(1) Vide cl. Palmieri, *Anthropol.* thes. 1, part. 2, pag. 266, 267.

(2) Idem, *ibid.*, thes. 2.^a

(3) Cfr. Mastrius (*Physic.* disp. 2, quæst. 4, art. 2, num. 73) de *Gener. et corrupt.*, disp. 5, quæst. 3, art. 1, num. 86 seqq.), Pontius (*de Anim.*, disp. 7, quæst. 3, num. 49 seqq.).

ut tota penitus virtus animæ etiam rationalis a materia absorberetur, *neg.*

Contradist. Minor.: et probationem pariter *dist.* Nequit corpus constitui per formam spiritualem, quæ non contineat simul virtutem inferiorum formarum, *conc.*; quæ contineat illam, *neg.* Quamvis anima spiritualis uniatur materiæ tamquam forma vel actus ejus, non sequitur eam penitus immergi intra materiam; quia hanc actuando, solum communice virtutes et operationes, quarum potest ipsa esse capax. Cum ergo materia nequeat virtutem et operationem spiritualem recipere ac participare, nam virtus et operatio quæ materiæ communicatur, eo ipso dependens fit ab illa, et proinde desinit esse spiritualis; ideo rationalis anima potest materiam informare, quin ab ea penitus absorbeatur, vel comprehendatur, ut melius apparebit, cum probabitur animam rationalem esse veram formam corporis (1). Ad rem Eximius Doctor: «Ex quo intelligitur, quomodo anima rationalis, licet sit incorporea, possit esse forma corporeitatis. Nam esse actum seu formam corporeitatis non est esse ipsam corpoream seu extensam, sed est esse formam constituentem cum materia unam substantiam compositam capacem quantitatis. Unde... idem omnino est esse formam corporeitatis, quod esse formam substantialem materiæ, quia ex hoc precise quod sit actus substantialis materiæ, constituitur ex utraque substantia integra, materialis et corporea. Cum ergo rationalis anima etiamsi sit indivisibilis, vera forma substantialis sit corporis, habet quiddam necessarium est, ut sit forma corporeitatis» (2).

Instabis 1.^o Ut anima posset conferre formaliter gradum corporeitatis, deberet illam habere. Atqui anima, saltem rationalis, nequit gradum corporeitatis habere; secus enim esset corporea. Ergo...

Resp. dist. Anima deberet habere formaliter præcise formam [corporeitatis, *neg.*; virtualiter, *conc.* Et *contradist.*

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 76, art. 1, corp. vers. fin.; quæst. de *spirít. creat.*, art. 2, fin. corporis.

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 15, sect. 10, num. 26. Cfr. Lossada, *Physic.* tract. 1, disp. 5, cap. 1, num. 21.

Minore, *neg. conseq.* Itaque licet anima non habeat corporeitatem in actu, inquit Angelicus, habet tamen virtute, sicut sol calorem. Nam anima intellectiva... sicut virtute continet animam sensitivam et nutritivam (id quod admittunt, et nequeunt non admittere Scotistæ), illa virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola, quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt. Et similiter est dicendum de anima sensitiva in brutis, et de nutritiva in plantis, et universaliter de formis perfectioribus respectu inferiorum (1). Quare ipsa anima potest dare materiæ non solum esse viventis, sed etiam esse corporis. Rem egregie declarat P. Sylvester Maurus: «Anima rationalis licet sit spiritualis, continet virtute formas corporeas. Neque enim est spiritualis, quia non habet virtutem sentiendi et virtutem vegetandi et virtutem formandi, sed est spiritualis, quia præter istas virtutes habet esse per se subsistens et vim exercendi operationes intellectivas independentes a materia. Ergo cum sit spiritualis, non quia deficit illi virtus et perfectio formarum materialium, sed quia ultra perfectionem ipsarum habet alias perfectiones et virtutes, potest æque bene constituere corpus, ac formæ corporeæ» (2). Cæterum et illud nota, posse animam formaliter tribuere esse ac denominationem corporis, quin ipsa sit formaliter corpus; sicut anima rationalis tribuit formaliter esse ac denominationem hominis, quin ipsa sit formaliter homo; et gratia sanctificans efficit formaliter hominem filium et amicum Dei, quin ipsa sit formaliter filia vel amica Dei.

Instabis 2.^o Non minus opponitur corporeum incorporeo, quam album nigro. Atqui impossibile est formam albedinis constituere subjectum nigrum. Ergo nec forma incorporea potest materiam in esse corporis constituere.—**Respondeo 1.^o** retorquendo argumentum contra Scotistas sic: Atqui albedo nequit exigere in subjecto proprio tamquam dispositionem nigredinem, nec simul cum ea existere. Ergo nec forma incorporea poterit exigere in materia præviam

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 76, art. 4, fin. corp.

(2) Sylvest. Maur., *Quæstiones philosoph.* lib. 4, quaest. 26, Ad 1.^{am} in respons. ad Confirmationem.

formam corporeitatis, nec simul cum illa stare. **Respondeo 2.^o dist. Major.** Non nimis opponitur corporeum incorporeo, quam album nigro quoad verificationem de eodem subjecto, *conc.*, quoad munera, quæ invicem exercere valeat, *neg.* «Nemo quippe negare potest, formam incorpoream destinatum esse, ut sit pars hominis, qui est ens simpliciter corporeum; itemque destinatum esse, ut causet, sive ut inferat, et exigit in subjecto proprio accidentia corporea, vel formam ipsam corporeitatis juxta Scotistas: cum tamen albedo nequeat esse pars nigri, nec radix, nec exigentia nigredinis in subjecto suo» (1).

Objic. 2.^o Ex communi loquendi modo dicitur homo anima et corpore constare, tamquam duabus partialibus substantiis invicem distinctis. Atqui id verum esse nequit, si anima ipsa constituat corpus in suo esse corporis. Ergo admittenda est præter animam in viventibus alia forma præbens materiæ rationem corporis.

Resp. dist. Major. Intelligendo corporis nomine materiale ac sensibilem hominis partem, *conc.*; intelligendo verum corpus jam in esse corporis constitutum; *subdist.*: homo constare dicitur anima et corpore sic intellecto tamquam duabus partibus adæquate distinctis, *neg.*; tamquam duabus partibus inadæquate distinctis, *conc.* Nam si hoc pacto corpus in ea locutione communi sumeretur pro corpore in esse corporis constituto, jam includeret animam tamquam partem sui constitutivam, supposita probationum nostrarum efficacitate, quæ formam corporeitatis ab anima distinctam excludunt, Cæterum quid vulgus hominum sentiat, cum ita loquitur, non est nimis sollicite investigandum, siquidem vulgus tam subtiles quæstiones decernere non potest. Nihilominus haud improbabiler, puto, dici potest vulgus eo loquendi modo considerare in homine id, quod est illi commune cum reliquis corporibus, nimirum genericam rationem corporis, quam habet (ut nos quidem arbitramur) ab ipsa anima, prout generatim munere fungitur formæ, et id per quod a reliquis omnibus differt, nimirum animam rationalem, per

(1) Lossada, *Physic.* tract. 1, disp. 5, cap. 1, num. 23.

quam homo præterea triplici vita gaudet, vegetativa, sensitiva et intellectuali (1).

Objic. 3.^o Anima definitur communiter a Peripateticis et Scholasticis cum Aristotele *actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis*. Ergo supponit corpus in esse corporis, et quidem organici, constitutum (2).

Resp. *dist.* Est actus constitutivus corporis, *conc.*; actus supponens corpus in sua ratione corporis constitutum, *sub-dist.*; supponens corpus constitutum per aliam priorem formam, quæ postea remaneat sub anima, *neg.*; per eandem animam, quæ cum in virtute contineat omnes formas inferiores, ipsa sola præstare potest quicquid illæ præstarent, et sic prius ratione constituit materiam in esse corporis, quam viventis, eo modo, qui mox declarandus est, *conc.* Et *neg.* conseq. *Aristoteles*, scribit Aquinas, *non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis physici, organici, potentia vitam habentis, et quod talis potentia non abicit animam* (nempe ratio corporis organici potentia vitam habentis non adest independenter et præcise ab anima). Unde manifestum est, quod in eo, *cujus anima dicitur actus, etiam anima includitur, eo modo loquendi quo calor est actus calidi, et lumen est actus lucidi; non quod scorum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem. Et similiter dicitur, quod anima est actus corporis, etc., quia per animam et est corpus, et est organicum, et est potentia vitam habens* (3). Et ratio est, quia in definitionibus formarum aliquando ponitur subjectum ut informe (nempe exprimitur subjectum, quod illa informatur, secundum id, quod habet independenter ab actu talis formæ), sicut cum dicitur: **Motus est actus existentis in potentia; aliquando autem ponitur subjectum formatum** (nempe exprimendo in illo aliquid, quod per eandem formam ei advenit), sicut cum dicitur: **Motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi. Et hoc modo dicitur anima actus organici physici, quia anima facit ipsum esse corpus organicum, sicut lumen facit**

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 10, num. 14; et de *Eucharist.* disp. 51, sect. 4.

(2) Cfr. Pontius (*de Anim.*, disp. 7, quaest. 3, num. 47).

(3) S. Thom., 1 p., quaest. 76, art. 4, ad 1.^{um}

aliquid esse lucidum (1). Verum totum hoc magis patebit, cum in sequenti articulo aristotelica animæ definitio enucleanda erit.

Objic. 4.^o In Eucharistia docet Concilium Tridentinum (2) *statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius Anima et divinitate existere; sed Corpus quidem et Sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, Animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantia, qua partes Christi Domini... inter se copulantur*. En vi verborum solum ponitur sub specie panis Corpus Domini (permitto etiam vel concedo, quod ponantur vi verborum in obliquo quantitas et accidentia organica) (3). Anima vero ponitur dumtaxat per concomitantiam. Atqui hæc doctrina egregie quidem explicatur in sententia scotistica, nequit autem intelligi, ea non admissa (4).

Respond. *neg.* Minor. Non est nostrum difficultatem istam, quæ ad Theologos spectat plene enodare. Variæ perhibentur hæc de re inter catholicos scriptores sententiæ, id quod satis per se ostendit, nihil certum contra stabilitam a nobis doctrinam ex verbis Tridentini derivari. Vetustiores Theologi non pauci (5) docuerunt in Eucharistia vi verborum consecrationis solam materiam primam Christi Domini adesse, illamque intelligi nomine corporis: quæ opinio communissime rejicitur. Scotistæ volunt nomine corporis significari et adesse in Eucharistia materiam cum forma corporeitatis, distincta ab anima Jesu Christi, Domini nostri (6). Tertio alii, ut omitteremus nunc falsam Hervæi sententiam (7),

(1) S. Thom., Qq. disp. *quæst. de Anim.* art. 1, ad 15.^{um}

(2) Sess. 11, cap. 3.

(3) Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 1, disp. 5, cap. 1, num. 15.

(4) Cfr. Pontius, (*de Anim.*, disp. 7, quaest. 3, num. 39, 41), Mastrius (*de Gener. et corrupt.*, disp. 5, quaest. 3, art. 1, num. 79 seqq.).

(5) Apud Suarez, *de Eucharist.*, disp. 51, sect. 4, num. 2.

(6) Vide apud Suarez, (loc. cit. num. 3). Cfr. Lugo, *de Eucharist.* disp. 8, sect. 4, num. 61.

(7) Apud Suarez, loc. cit. num. 4.

contendunt in Eucharistia ex vi verborum adesse «formam substantialem, ut præcise dantem esse corporeum, non quod talis forma in re ipsa sit physice (i. e. realiter) distincta a forma specifica, quæ a parte rei fuerit in tali corpore, non secundum propriam rationem suam, sed secundum præcisam rationem, qua constituit corpus. Quocirca si in corpore Christi, in propria specie existente, fuerit anima rationalis, illa erit in hoc sacramento ex vi verborum, non tamen ut anima est, sed ut est forma corporis» (1). Hæc est expressa opinio Angelici (2), quam sequuntur Thomistæ, quamvis non eodem omnes modo illam interpretentur. Alii namque, ut Soto, Ledesma et Palacios, dicunt *Corpus* in verbis consecrationis supponere tantum pro materia, connotare autem animam, ut dat esse corporeum (3); alii vero, inter quos Capreolus, Paludanus et Cajetanus, contendunt ex vi verborum esse in Eucharistia corpus substantiale, quatenus dicit compositum ex materia et forma substantiali dante esse corporeum. Hanc altero modo expositam sententiam sequitur etiam P. Suarez, secundum quem ex vi verborum est forma substantialis, quatenus sufficiens est ad constituendum corpus organicum humanum, quæ licet secundum hanc rationem præscindat a propria ratione animæ vel formæ cadaveris (quia corpus vivum est organicum per animam, mortuum vero per formam cadavericam), tamen in re semper est anima vel forma cadaveris. Unde nunc, cum vivus regnat in cælo Christus Dominus, ex vi verborum est anima rationalis ejus, prout dans esse corporis organici; si autem in triduo mortis verba consecrationis prolata fuissent, virtute illorum fuisset forma cadaverica, dans materiæ rationem corporis organici (4). P. Vazquez (5) cum aliis tenet in verbis consecrationis per vocem *Corpus* significari «non solam materiam, sed ut accipit esse corporis a forma substantiali, non quidem rationem communem corporis, sed disjunctum ex corpore vivo vel mortuo, ita ut neutrum

(1) Apud Suarez, loc. cit. num. 5.

(2) S. Thom., 3 p., quæst. 75, art. 6, ad 2.^{um}

(3) Apud Suarez, ibid.

(4) Vide Suarez, loc. cit. a num. 6, ac potissimum a num. 8.

(5) Vazquez, in 3.^{am} part., disp. 186, cap. ultimo.

significetur determinate, sed hoc vel illud disjunctim, quasi dicas: *Hoc est corpus Christi vivum vel mortuum*. Hinc est ad veritatem hujus propositionis non requiri determinate animam, nec determinate formam cadaveris, sed unam vel alteram: quare quod ponatur anima de facto, non provenit ex mera significatione verborum, sed ex eo, quod de facto Corpus Christi reperitur in cælo cum anima rationali» (1). Cardinalis Lugo eandem fere sequitur doctrinam, paulo tamen aliter explicatam. Docet namque per vocem *Corpus* non significari determinate totum compositum substantiale, sed materiam cum organizatione sufficienti ad hoc, quod habeat diversitatem partium, carnis scilicet, ossis, cordis etc. Nam in corpore organico duplex distingui potest organizatio, altera substantialis, altera accidentalis: prima provenit a forma substantiali, tali vel tali modo unita materiæ. Secundum enim declarationem superius præmissam ex Suarezio, sentit etiam Lugo partes viventis esse substantialiter heterogeneas, ita ut caput substantialiter differat a manibus, sive ratione diversæ formæ partialis in iis, quorum anima est divisibilis, atque adeo integraliter composita, sive saltem ratione diversi modi, quo eadem divisibilis anima unitur diversis corporis partibus, ut fit in homine. Ex qua doctrina sequitur in ipsa substantia viventis, v. g. hominis, dari organizationem ac diversitatem partium sufficientem ad constituendum corpus organicum talis viventis, v. g. hominis, organizatione, quæ dici potest substantialis, etiamsi nullum esset in illo accidens. Alia est organizatio accidentalis, orta ex diversitate accidentium et dispositionum, ratione cujus materia, etiamsi careret forma substantiali, diceretur vere organizata et corpus humanum aptum ad recipiendam animam rationalem vel formam cadaveris. Qua supposita doctrina, «videtur verisimile, inquit Cardin. Lugo, materiam primam, ut subest cullibet ex his dispositionibus, intelligi posse appellatione *corporis*; nam ut subest illis, est materia organizata et componens cum forma substantiali compositum vel viventis vel cadaveris» (2). Denique Lossada cum Arriaga (3) et aliis vult «in

(1) Apud Cardin. Lugo, *de Eucharist.*, disp. 8, sect. 4, num. 77.

(2) Lugo, loc. cit. num. 78.

(3) *De Eucharist.*, disp. 36, sect. 3, subsect. 4.

Eucharistia vi verborum poni Corpus Christi organicum incomplete sumptum, ac proinde materiam primam cum organizatione accidentali, sic tamen, ut materia ponatur primario et organizatio secundario, prout scilicet significantur nomine *corpus*, altera in recto, altera in obliquo» (1). Has nobis sententias referre sufficiat in questione theologica: illam quisque eligat, quæ sibi magis arrideat, quamvis diffitendum non est doctrinam Tridentini Concilii lucidius explicari, supposita scotistica opinione.

Objic. 5.^o Nisi admittatur in quovis vivente forma corporeitatis ab anima distincta, in morte illius esset gignenda forma cadaverica, quæ materiam cadaveris informaret. Atqui forma ejusmodi, quæ in morte viventis producatur, repugnat: α) tum quia sæpe nullum cernitur statim indicium novæ formæ, dum vivens repente moritur, cum eadem ferme accidentia sint in cadavere, quæ prius inerant, ac nominatim quantitas, figura, etc. (2); β) tum quia sæpe nulla assignari posset causa illius formæ cadavericæ de novo productæ, ut si vivens subito juguletur, vel plumbea glande transfixum humi prosternatur. Cum potissimum introductio novæ formæ requirat præviam alterationem successive factam, ac proinde nequeat temporis momento peragi (3).

Resp. neg. Minor. Ad probationem α) *dist.*: sunt in cadavere aliqua accidentia, quæ prius inerant, ut quantitas, figura, nævi, etc., *trans.*; omnia, *neg.* assertum. Nam in cadavere statim mutatur color, temperies, aliæque accidentia propria viventis, et succedit pallor, frigus, rigor, etc. Quod vero temperies viventis non momento perdat, si mors subito accidat, nihil est mirandum: certum namque est temperiem illam, quæ adhuc remanet, non ex intrinseca naturæ exigentia enasci, sicut dum vita suppeteret; unde etiam mox evanescit, fere sicut calor vel motus extrinsecus impressus, cum non dimanet ex rei natura, solet paulisper

(1) Lossada, *Physica.*, tract. 1, disp. 5, cap. 1, num. 14, 15.

(2) Cfr. Mastrius (*de Physic.*, disp. 2, quæst. 4, art. 2, num. 68 seqq.), Pontius (loc. cit. num. 53).

(3) Cfr. Mastrius, *de Gener. et corrupt.*, disp. 5, quæst. 3, art. 1, num. 83.

evanescere. E converso accidentia illa, quæ cadaveri adveniunt, quamdiu ipsum non dissolvatur, in eo perdurant tamquam veræ proprietates; ex quibus proinde cogimur novam agnoscere naturam, atque adeo novam formam substantialem, unde tales fluant proprietates, eodem pacto quo in aliis mutationibus substantialibus ex præsentia novarum proprietatum novæ præsentiam formæ collegimus. *Transmissi* autem primum membrum distinctionis, quia non omnes patroni sententiæ nostræ concedunt, eandem *numerice* quantitatem, figuram, etc., corporis vivi remanere in cadavere. Id enim pendet a salebrosa illa quæstione de subjecto accidentium, quam in *Cosmologia* disputavimus (1). In qua nos existimamus materiam esse subjectum accidentium. Verum etiamsi aliter quis sentire velit, potest nihilominus formam corporeitatis excludere, et cadavericam admittere, ut faciunt Thomistæ. Præsens ergo controversia non necessario connexa est cum illa.

Ad probationem β) *trans.*, antec., *neg.* conseq. Supposito enim quod forma corporeitatis probabilis repugnet, et supposito quod materia prima nequeat saltem naturaliter sine aliqua forma existere, sequitur necessario in morte viventis novam formam in materiam illius induci, atque adeo aliquam debere dari causam efficientem talis formæ. Quamvis ergo nequeat *a nobis* fortasse *determinari* hujusmodi causa, non ideo deserenda est stabilita doctrina, nec admittenda forma corporeitatis. Adversarii vero, ut quidpiam evincerent hoc argumento, deberent ostendere nullam *dari posse in rerum natura*, vel *repugnare omnem quancunque causam productivam formæ cadavericæ*. Cæterum apud veteres alii tenebant formam cadaveris educi de potentia materiæ a dispositionibus et qualitatibus illis, ex quibus procedit mors, tamquam a causis instrumentalibus, ab agentibus autem, a quibus tales dispositiones inducuntur, tanquam a causis principalibus: ut si mors contingat ex nimio calore organismum alterante, calor erit causa instrumentalis, at externa causa calorem hujusmodi producens erit causa principalis et per se cadavericæ formæ. Hanc sententiam tribuit

(1) Vide *Cosmolog.*, num. 341, pag. 1146 seqq.

P. Rubius (1) Gregorio, Capreolo et Conimbricensibus, quamvis hi diserte agnoscunt necessarium esse etiam cœlorum influxum, quando causa particularis inducens dispositiones, quæ mortem viventis afferunt, deterior est atque imperfectior ipso cadavere (2). Alii arbitrabantur formam cadaveris produci per se a causis universalibus, nempe ex cœlestium corporum influxu, causas autem particulares inducentes dispositiones illas, unde mors sequitur, solum per accidens concurrere tum ad mortem, tum ad productionem cadaveris, quia nempe hujusmodi causæ per se intendunt tantum propriam activitatem exercere formamque vel effectum illi activitati respondentem gignere; ut cum ignis v. g. nimis calefacit corpus viventis, et sic alterat illud, et corrumpit, per accidens causat mortem et consequentem formam cadaveris, quia cum illo calore et alteratione stare nequit vita organismi. Cum ergo materia sine aliqua forma esse nequeat, et forma viventis per actionem causarum naturalium perire debeat, in defectu alterius causæ particularis idoneæ accurrunt causæ universales ad educationem cadavericæ formæ. Quod si quando ne ipsis quidem agentibus universalibus tribui posset productio cadaveris, recurrendum esse putabant ad causam primam, Deum. Ita Rubius (3), Suarez (4), Sylvester Mauri (5). Hanc quoque tenet sententiam Lossada (6) his verbis. «Instrumenta mortis (v. g. securis, qua jugulatur animal) non producant formam cadaveris, sed causa illius exactiva, vel etiam instrumentaliter productiva, est temperamentum corporis organici, destitutum debita proportione ad retinendam animam; causa vero principalis est causa prima, cui incumbit materiam dispositam complere, quando deest causa secunda proportionata». Hæ sunt veterum sapientium hæc de re sententiæ. Quæ si cui

(1) P. Anton. Rubius, *de Anim.* lib. 2, cap. 3, tract. *de modo quo anima informat corpus. Breve dubium*, ad calcem quæst. 6, num. 175.

(2) Vide Conimbricens. *de Gener et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, quæst. 20, art. 3, ad 5.^m

(3) Loc. cit.

(4) *Metaphys.* disp. 18, sect. 2, num. 28; disp. 15, sect. 10, num. 15.

(5) *Quæst. philos.*, quæst. 26, ad 4.^m

(6) Loc. cit., num. 44.

minus placeat, non ob hoc solum sententiam nostram abjicere debet, quod nesciamus omnia incommoda vitare, neque omnes partes traditæ doctrinæ lucide explicare. Rationes, quibus existentia formæ corporeitatis in viventibus distinctæ ab anima excluditur, adeo videntur efficaces, ut sententiam nostram multo probabiliorem efficiant, dignamque omnino, quæ retineatur, etiamsi quædam ex ea sequantur consecraria, quæ nequeant adhuc satis explicari: non enim illa ostenduntur absurda, sed tantum obscura.

Ad illud quod dicebatur de prævia organismi alteratione, quæ successive fiat ante novæ formæ introductionem, respondeo fortasse numquam tam subito accidere mortem, quin locus esse possit præviis alterationibus successive factis in organismo usque ad interiectionem. Deinde addo sæpe alterationes ad novæ formæ introductionem necessarias brevissimo tempore perfici, ut cum ex pulvere nitrato flamma illico erumpit.

Instabis 1.^o Formæ cadavericæ in viventibus nec dici queunt ejusdem nec diversæ speciei. Ergo rejiciendæ. *Non ejusdem*, quia cum causæ mortis tam variæ existant, quis credat unam speciem formam ab omnibus illis produci? *Non diversæ*, quia signa et proprietates cadaverum in viventibus simillima cum sint, non diversam, sed similem formam prodere videntur.—**Resp.** hæc etiam de re diversas esse opiniones; sed fortasse probabilius dici ejusdem rationis esse formam cadavericam in viventibus ejusdem speciei, quin obstat argumentum propositum, quia causæ externæ variæ, quibus mors tribuitur, non producant ipsam formam cadavericam per modum causæ, sed per modum occasionis removens prohibens, remouent enim dispositiones ad animæ informationem requisitas, quibus remotis nihil prohibet induci formam cadaveris a vera causa, quam nondum definire satis possumus (1).

Instabis 2.^o Videtur minus convenire formæ cadavericæ tam mira corporis organici structura; cum præsertim tot remaneant organa in corpore mortuo, per quæ nulla jam

(1) Cfr. Pontius, (loc. cit. 68). Et Vide Lossada (loc. cit. num. 45), Rub. (loc. cit. num. 178 seqq.).

propria operatio exercenda est.—**Resp. 1.^o** Retorqueo argumentum adversus formam corporeitatis; si quid enim valet illud, non minus efficaciter urget adversarios nostros.—**Resp. 2.^o** Ratio cur remanent organa in cadavere est, quia nulla causa destruxit ea, nec aliunde repugnant formæ illi; quapropter permanent, quamdiu non destruantur ex contrariorum influxu.

Instabis 3.^o Si forma cadaverica admittatur, etiam Corpus Christi Domini in triduo mortis illam habuisset. Atqui hoc dici nequit; *α*) quia Corpus Christi, testantibus SS. Patribus, procul dubio fuit idem numero in sepulcro, quod fuit in utero Virginis Matris. Nisi autem habuisset eandem formam, non potuisset esse idem specie, nedum idem numero, nam ante mortem vivum constituebatur per animam, post mortem autem est cadaver, quod specie differt a vivo corpore. Ergo abjecta forma cadaverica, necesse est ponere formam corporeitatis, quæ remaneat post discessum animæ a corpore. *β*) Si Corpus Christi Domini formam cadavericam induit, vere corruptum fuisse videtur. Atqui id aperte refragatur sacris Litteris, in quibus scribitur: *Neque caro ejus vidit corruptionem* (1). *γ*) Denique forma illa cadaverica fuisset assumpta a Verbo, ne alioquin sacrum cadaver duplici gauderet subsistentia, altera increta, unita materiæ, altera creata, formæ cadavericæ propria. Et nihilominus id asseri nullatenus potest: primo quia forma cadaverica profecto dimissa fuit a Domino resurgente. Si ergo illa a Verbo assumpta fuisset, Verbum divinum aliquid, quod semel assumpsit, dimisisset contra illam ex Damasceno (2), vel potius ex ejus Scholiaste desumptam sententiam, quæ in theologicum effatum abiit: *Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit*. Deinde quia Verbum non assumpsit naturam irrationalem, quæ non sit pars humanitatis (3).

Resp. neg. Minor. Ad probat. *α*) *dist.* Major. Corpus Christi idem fuit in triduo mortis, quod antea materialiter

(1) *Actuum* cap. 2, vers. 31. Cfr. *ib.* cap. 13; vers. 35; et *Psal.* 15, vers. 10.

(2) *De Orthod. Fide*, lib. 3, cap. 26.

(3) Cfr. *Mastrius (de Gener. et corrupt.)*, loc. cit., num. 82; *Physic.*, disp. 2, quæst. 4, art. 2, num. 71; *Pontius* (loc. cit. num. 43).

et suppositaliter, nempe ratione ejusdem materiæ ac Suppositi divini, itemque secundum partem sensibilem hominis, *conc.*, complete ac formaliter, *neg.* Undenam autem probabunt adversarii, Sanctos Patres docuisse Corpus Christi totaliter idem fuisse in sepulcro, quod fuit in utero Virginis? Audi Angelicum Doctorem: *Hoc quod dico simpliciter potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod simpliciter idem est quod absolute; sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, ut Philosophus dicit* (in fin. lib. II Top.), *et hoc modo Corpus Christi mortuum et vivum simpliciter, fuit idem numero. Dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est supposito idem. Corpus autem Christi vivum et mortuum fuit supposito idem, quia non habuit aliam hypostasin vivum et mortuum, præter hypostasin Verbi Dei, ut supra dictum est* (art. 2 huj. quæst.) *Et hoc modo loquitur Athanasius in auctoritate inducta. Alio modo simpliciter idem est quod omnino vel totaliter: et sic Corpus Christi mortuum et vivum non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem, cum vili sit aliquid de essentia corporis viventis; est enim prædicatum essenziale, non accidentale unde consequens est, quod corpus, quod desinit esse vivum, non totaliter idem remaneat. Si autem diceretur quod Corpus Christi mortuum totaliter idem remaneret, sequeretur, quod non esset corruptum, corruptione dico mortis: quod est hæresis Gaianitarum, ut Isidorus dicit* (*Etym.* lib. VIII, cap. 5, ad fin.), *et habetur* (in *Decretis* 24, quæst. II, cap. *Quidam autem*) (1).

Ad probationem *β*) pariter *dist.* Major. Corruptum fuisset Corpus corruptione putrefactionis, *neg.*; corruptione pure philosophica, quæ formaliter consistit in separatione formæ præhabite, seu in desitione compositi corporei præexistentis, *conc.* Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq. Si enim vere secundum Fidem mortuus est Christus Dominus, dubitari nequit, quin passus fuerit corruptionem philosophicam, etiam in ipsa sententia scôtistica. Ad rem Aquinas: *Damascenus dicit* (*Orth. fid.* lib. III, cap. 28, in princ.), *quod corruptionis nomen duo significat: uno modo separationem animæ a*

(1) S. Thom., 3 p., quæst. 50, art. 5, corp. Cfr. *ibid.* ad 2.^{um}

corpore, et alia hujusmodi; alio modo perfectam dissolutionem in elementa. Ergo incorruptibile dicere Corpus Domini, secundum Julianum et Gaianum, secundum primum corruptionis modum ante resurrectionem, est impium: et quia Corpus Christi non esset consubstantiale nobis, nec in veritate mortuum esset, nec secundum veritatem salvati essemus. Secundo autem modo Corpus Christi fuit incorruptum (1).

Ad probationem. γ) transeat Major, quia non una est ea de re Doctorum sententia (2), quamvis communius doceant Christum in morte assumpsisse, in resurrectione dimisisse formam cadavericam. Tunc *neg.* Minorem, quin obstant ejus probationes. Etenim effatum illud Theologicum «intelligitur de partibus humanitatis vel de iis, quæ Verbum assumpsit ex primaria intentione, non vero de iis, quæ assumpsit veluti secundo et transeunt ad servandum ordinem rebus consentaneum tempore mortis. Quod etiam dictum est de non assumptione naturæ rationalis» (3). Remque optime declarat P. Sylvester Maurus: «Verbum primo et principaliter assumpsit animam rationalem et alias partes; quæ prout unitæ cum anima spectant ad integritatem humanæ naturæ. Animam rationalem nunquam omnino dimisit, partes vero materiæ, et alias, quæ prout unitæ cum anima spectabant ad humanam naturam, nunquam dimisit, quamdiu manserunt unitæ, vel paulo post reuniendæ. Et quia materia Corporis Christi et Sanguis effusus triduo mortis manserunt reunienda animæ, non fuerunt dimissa. Et quia forma cadaverica erat unita materiæ paulo post reuniendæ cum anima, ideo etiam ipsa fuit unita Verbo divino. At sicut cum Christus per nutritionem acquirebat novas partes materiæ et antiquas amittebat, Verbum de novo uniebatur partibus acquisitis, dimittebat vero partes perditas, quæ amplius non spectabant ad humanam naturam; sic cum materia Christi triduo mortis habuit formam cadavericam, Verbum fuit unitum formæ cadavericæ ratione materiæ; cum in resurrectione materia dimisit formam cadavericam, Verbum

(1) S. Thom. 3, p. quest. 50, art. 5, corp.

(2) Vide Suarez, *de Incarnat.*, disp. 38, sect. 3.

(3) Lossada, loc. cit. num. 49.

etiam illam dimisit utpote non amplius spectantem ad humanam naturam, vel ad materiam reuniendam animæ» (1).

Hæc et alia similia vide apud veteres Auctores (2).

ARTICULUS IV.

Proponitur ac defenditur aristotelica definitio Animæ.

33. Stabilita existentia et realitate animæ, operæ pretium est illam definire: qua in re S. Thomæ et veteres Scholasticos secuti aristotelicam doctrinam exponemus ac pro virili tuebimur, nihil enim hactenus melius veriusque excogitatum est. Duplex ab Aristotele tradita est animæ definitio, communi Scholasticorum consensu recepta: prima est hæc: *actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis* (3). Secunda ita se habet: *Anima est id, quo vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus, primo* (4). De quibus juvat singillatim agere.

§ 1.—DECLARATUR PRIMA DEFINITIO ANIMÆ (5).

Anima dicitur in primis *actus*, quia est forma; omnis quippe forma est *actus*. Unde per hanc particulam exprimitur distinctio animæ tum a materia, quæ nullius est *actus*, tum a corpore, quod, licet sit compositum ex actu et potentia, non est tamen *actus*, quia non est entitas idonea nec natura sua destinata ad actuandum aliud subjectum.

Prima definitio animæ declarat: nempe est *actus*

(1) *Question. philos.*, lib. 4, quest. 26, ad 5.^{um}

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 10; Rub. *de Anim.*, lib. 2, quest. 6, 7; Conimbricens., lib. 1.^a *de Gener. et corrupt.*, cap. 4, quest. 20; Joann. a S. Thomæ, *de Anim.*, quest. 1, art. 3; Mauri et Lossada, locis citat. et alii passim.

(3) Arist. lib. 2 *de Anim.*, cap. 1, text. 6.

(4) *Ibid.* cap. 2, text. 24.

(5) Expositionem hujus definitionis legere oportet apud S. Thomæ (*de Anima*, lib. 2, lect. 1), Eximium Doct. (lib. 1 *de Anima*, c. 1 et 2, ubi plenissime omnia enucleantur), Conimbricenses (*ibid.* lib. 2, quest. 1.^a), Rubium (*ibid.* lib. 2, quest. 3, seqq.), Joann. a S. Thomæ (*de Anima*, quest. 1, art. 1 et 2), Complutenses (*de Anima*, disp. 2), Cardin. Aguirre (*de Anima*, disp. 75 *Physiologia*, etc.), etc.